




ATIONVM
LXXXIV.














E
tu
n
be
in
m



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
FEBRE QVARTANA
INTERMITTENTE,

Quam,
Consensu & suffragio illustris ac gratiosis-
simæ Facultatis Medicæ in florentissima Salana,

P R Æ S I D E
A C A D E M I Æ H. T.
RECTORE MAGNIFICO

DN. RVDOLFO GVILIELMO
CRAVSIO,

Philos. & Med. Doct. Hæreditario in Mel-
lingen/ Prax. & Chim. Prof. Publ. celeberrimo, Facultatis
Medicæ SENIORE, S. R. I. Natur. Curios. Acad. Collega,
& p. t. DECANO spectatissimo,

*Dn. Præceptore, Patrono ac Promotore
studiorum suorum aeternum devenerando,*

PRO LICENTIA

Summos in arte Medica honores, insignia atque privi-
legia Doctoralia rite capessendi,

publicè ventilandam sistit

MICHAEL KAVLIZ, Quedlinburg Saxo,
Medicus, Northeimensis,
In auditorio majori

d. 27. August. M DC XCIV. horis ante & pomeridianis consuetis.

JENÆ, LITERIS KREBSIANIS.

VIRIS
NOBILISSIMIS, EXCELLENTISSI-
MIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS, ET
PRUDENTISSIMIS,

DOMINIS
CONSULIBVS,
SYNDICO,
CAMERARIIS,

TOTIQUE
SENATORIO ORDINI UTRIVSQUE
CIVITATIS QUEDLINBURGENSIS
SPECTATISSIMO,

*DOMINIS Mæcenatibus, Patronis &
Fautoribus maximis, ad cineres usque colendis,*

Disputationem hanc inauguralem
in sui commendationem ea, qua par est, animi
submissione offert

Auctor.



L. D. B. V.

PROOEMIUM.

PLato lib. 3. de republ. pag. 624. inquit, Medici quidem præstantissimi evaderent, si ab ineunte ætate, præter discendæ artis studium, inter plurimos corpore malè affectos conversarentur, ipsique omni morborum genere laborarent, naturâque imbecillâ essent.

Hæc perpendens, nullum morbum melius describere, nec de ullo verius loqui, quàm de **QVARTANA** me posse putavi; hanc enim febrium intermittentium præcipuam, scorbuti sobolem, tartari proventum, morborum chronicorum, ac plurium aliorum parentem esse, in corpore meo ultra semestre ego ipse sum expertus.

Hunc itaque affectum loco **DISPUTATIONIS INAUGVRALIS** exhibere, atque in ipsius naturam & causas paucis, pro ingenij viribus, inquirere, suscepi. Faxit **DEVS** ut feliciter!

§. I.

Dicitur affectus noster **FEBRIS** ab antiquo *februo, purgo*, Græcis *πῦρ*, ignis; *quartana intermittens* verò à typo & intervallo, quia singulo quarto die hominem invadere solet, duobus diebus intermediis, ad differentiam continuarum, aliarumque. Germani dicunt *das Kalte / ic. das Kalte Sieber / das viertägige Sieber.*

A 2

§. 2. DE-

§. 2.

DEFINITIO hujus febris talis esse potest: *Febris quartana intermittens est intemperies calida cordis per totum corpus diffusa, ab opyacuō praternaturali in corpore orta, singulo quarto die paroxysmum cum dolore & rigore habens, omnesque ferè actiones ledens.*

§. 3.

GENVS, seu ratio formalis est *intemperies calida cordis*, quæ cum sanguine per arteriarum ac venarum canales omnibus partibus, sicque toti corpori communicatur; ad differentiam intemperiei particularis, simplicis, ac vagabundæ, qualis accidere solet à motu, irâ, ebrietate, &c. hisque essentia febris exprimitur. *vid. Excell. Dn. D. Schelhamm. dissert. de curat. febr. part. 1. p. 18. & 22.*

§. 4.

Controversia autem non levis circa essentiam hujus febris in scholis medicis est orta: *Helmontius l. de febr. Walæus ac Sylvius CALOREM* de essentia febris esse nolunt; si enim, inquirunt, calor de essentia febris est, debet à febre ita inseparabilis esse, ut sine eo febris concipi nequeat, contrarium verò probant exemplo februm castrensiū, quæ citra sitim ac calorem manifestum accidunt: verùm respondemus, quod vel planè non fuerint febres, vel non omnia observata fuerint; febris enim sine calore concepta est non ens, calido quippe & humido vivimus; quamdiu hæc sunt inter se naturaliter proportionata, tamdiu omnia benè sese habent, simul ac verò motus sanguinis ab heterogeneo accedente turbatur, calor praternaturalis oritur.

§. 5.

Nec illi, qui soli *PULSVM* celeri essentiam febris adscribunt, sunt audiendi; maniaci enim, ac cacochymici habent pulsum celerem, nec tamen febrim, & memmi me aliquoties ex discursu *Excell. Dn. D. Wedelii*, præceptoris ac patroni mei ad cineres usque colendis audivisse, se nosse quosdam à natura pulsum celerem habentes, cum tamen non febricitent.

§ 6. Re-



Reliqua quæ in definitione dicta sunt, DIFFERENTIAM
continuis, aliisque intermittentibus inferunt.

§. 7.

SUBJECTVM morbi primarium ac principale statuimus
Cor, Galen. l. 1. de diff. febr. cap. 3. inquit: ἡ γὰρ ἐγκαυσίς ἢ ἀπὸ τῆς
ἡλίου ἐνέργειας τὴν αὐτὴν ἔχει, ἀεγσηγορείαν καὶ αὐτὴν πυρετὸς ἐστὶ
εἰ μὴ συνεπιφερμαίνῃ τὴν καρδίαν. Sive enim exustio, sive totius or-
peratio calorem in corpore excitet præternaturalem, nondum ta-
men febris est, nisi cor unà calefiat.

§. 8.

Cor juxta laudati Dn. D. Wedel. physiologiam reformatam pag.
84. dicitur fons ac sedes caloris ac vitæ: si sedes caloris naturalis,
quidni etiam præternaturalis? nunquam enim febris sentitur, nisi
fermentum febrile ad hanc cameram præus devehatur.

§. 9.

SUBJECTVM MORBI secundarium, sive adæquatum di-
cimus totum corpus; partes enim communicant cum corde, &
cor cum partibus, unde fermentum febrile cordi communicatum
ad omnes partes corporis per circulationem sanguinis promove-
tur, & si cordis temperies perit, etiam actiones ejus perire ne-
cesse est.

§. 10.

SUBJECTVM CAUSÆ quærimus cum Fernelio lib. 4. de
febr. in prima corporis regione, uno verbo Hypochondriis, præci-
puè verò in glandulis intestinalibus, ac melaicis, adæquatè in
ventriculo, liene, pancreate, bile, ac mesenterio; hæ enim singu-
læ partes sunt receptacula humorum tam naturalium, quàm præ-
ternaturalium, in his partibus fermentum febrile collectum ac ge-
neratum tam diu reservatur, donec massæ sangv. commisceatur,
atque ita paroxysmum faciat.

§. 11.

Sylvius l. 1. prax. cap. 30. & Regner. de Graf de succ. pancr. c. 2.

pancreas solum pro subiecto agnoscunt; verum cum hi nimis stricte loquantur, ideo viscera reliqua §. 10. nominata, sunt coniungenda: idem iudicium esto de *Liene*, quem *Helmontius* pro solo subiecto agnoscit.

CAUSA IMMEDIATA & efficiens est $\delta\pi\gamma\alpha\sigma\mu\acute{o}\varsigma$ praternaturalis humorum, massam sanguineam constituentium; posito enim hoc, ponitur paroxysmus; nam ob heterogeneum illatum indignatus atque furibundus archeus, contra suum hostem insurgit, unde auctio caloris ac spirituum fit, quod subsequens horror ac rigor satis indicat; denique ob nimium motum ac agitationem rarefactio fermenti febrilis subsequitur, quod ex calore per totum corpus diffuso, patet.

§. 13. CAUSAM MEDIATAM PROXIMOREM statuimus fermentum Θ ino acido Φ eum, fixum ac Ψ eum, in glandulis stomachicis intestinalibus ac mesaraicis, juxta §. 10. enatum.

§. 14. Per FERMENTUM intelligimus particulas Θ inas activas, vim fermentandi ac immutandi habentes, quod toto die in fermento panifico, in musto fermentando videmus; tantillum enim fermenti totam massam immutare potest, de quo vid. potest laudatus *D. Wedel. pharmac. acroamat. l. 1. f. 3. c. 2. pag. 88.* eodem modo sese res habet cum fermento febrili, quod adsumta quavis immutare, atque in fermentum morbosum, naturæ peregrinum evertere potest.

§. 15. Huic causæ vellicantur CAUSÆ REMOTIORES NATURALES, illæ scil. quæ cacochymiam inducere aptæ; huc spectat temperamentum phlegmatico melancholicum, ob serum vappescens vitiosum, acidum, maximè ad hanc febrem producendam aptum.

§. 16. *Aetatem* quod attinet, nemini parcit, sed modò juvenes, modò senes, modò infantes, licet hos rarius, invadit; existat tamen exem

(7) (10)
exemplum apud *Hæchstetterum* in *obs. Med. decad. 2. cas. 2.* puellam in ipsis matris puerperii septimanis laborare coepisse febre hac quartana, malo per integrum annum duranti; interim non negandum, ætatem consistentem præ juvenili (nisi hæc propter inordinatam victus rationem sibi illam acquisiverit) hujus mali insultibus esse obnoxiam.

§. 17.

Ratione Sexus nullum observatur discrimen; ob menses tamen, si in ordinatè fluant, vel si aliud vitium uteri adsit, mulier faciliùs hanc labem sentit.

§. 18.

Ex NONNATURALIBVS causis sistit se aer frigidus atque nebulosus, & ratione temporis, & ratione loci febres hæc generans. Tempus proprium hujus morbi est autumnus, qui poros condensando, & effluvia prohibendo *υία σπυλα* Sino biliosa in corpore ut retineantur, retenta fermentifica evadant, atque ad febrim hanc multum disponant, facit. Huc pertinent *victus* errores, cibi præprimis crassi, viscidi, flatulenti, carnes fumo indurata, Ole condita, pisces marini, cerevisiæ recentes, &c. unde, qualis cibus, talis chylus, qualis chylus talis sanguis, talis denique sanitas sequitur. *Vigilia* & lucubrationes nimia spiritus exsolvent, sanguinemque exsiccant. *Somnus* modum excedens juxta *2. aphorism. 3.* malum, *motus* nimius à pastu coctionem turbat, *quies* nimia calorem debilitando, particulas *vestres*, ac *reas* cumulat. *Excreta* & *retenta* noxam inferre solent, si retineantur quæ excernenda, & vice versa. *Animi pathemata*, ut sunt ira, tristitia, moeror diuturnus, corpus alterando calorem imminuunt, & corpus ad hunc affectum disponunt.

§. 19.

Inter Causas PRÆTERNATURALES principem locum sibi vendicat Scorbutus, quartana enim vel facit, vel invenit scorbutum, ex hæmorrhoidibus, mensibusque suppressis quartanam observavit *Schenck, l. 6. obs. 41, it. Forest. l. 3. obs. 34. & 41.* idem

l. 7.

l. 7. *observ. de synt. febr.* à Vermibus quartanam in puella novenni annotavit, simile & ego in servo quartana laborante Northemia observavi, qui dato ☿ emetico c. ☿ Oii 5. vermes spithamæ longitudine evomebat, febrî emanente. A scabiæ retro-pulsa in puellâ 12. annorum observare mihi licuit quartanam, quæ tamen datis sanguinem purificantibus, evacuantibus &c. per Dei gratiam mox curata.

§. 20. nullus ex...
DIFFERENTIAS quod attinet, *Helmontius cap. 6. de febr.* §. 1. dicit quartana non differt materiâ & efficiente, neque etiam curatione à febris cognatis; nihilominus tamen eas paucis attingemus. Est quartana (1.) ratione *formæ* alia exquisita & legitima, alia notha; illa typum ac ordinem æqualiter servat, hæc à regula deflectit, nec horam nec diem observat, sed modò tardius, modò citius ægtos corripit, (2.) ratione *generis* alia simplex, quando singulo quarto die repetit, alia composita, quando uno die duo, nonnunquam tres paroxysmi repetere solent, (3.) ratione *temporis* alia æstivalis, alia autumnalis, alia hyemalis, alia brevis, alia longa.

§. 21.
DIAGNOSIN quartanæ facilem esse dicimus; si enim invadit cum vehementi frigore in dorso & extremis partibus, subsequente calore præternaturali in toto corpore, elapsis 8. 12. 16. imò, notante *Pisone & Hollerio* 24. horis, perfectè fiat interpolatio, seu intermissio, quovis verò quarto die more pristino hominem iterum invadat, dicitur, & est infallibile hujus febris indicium. Consequentia symptomata, ut sunt dolores capitis, dorsi, gravitas membrorum, lassitudo spontanea, vomitus, nonnunquam nausea ciborum, appetitus dejectus, os amarum, sunt signa aliis intermittentibus etiam communia. Pulsus initio est debilis, progressu temporis debilior, quàm in aliis febris; Urinæ in principio tenues, albæ & aquosæ, progressu temporis crassiores, cumque sedimento rubro.

§. 22. PRO-



PROGNOSIN *salutis & mortis* quod attinet, affectus hic per se nullum lethalitatis metum præ se fert, sed hæc omnium tutissima est febris, quod *Hipp. 4. aph. 43.* innuisse vult, dicens: Quocunque tandem modo intermiserint, periculi expertes, & generalem prædictionem proponit *1. epid. sect. 3. t. 4.* Securissima omnium & facillima, ac longissima quartana; adeoque magis molestæ, quàm periculosæ sunt hæc febres; nec sequitur, quartana degenerat (nonnunquam) in morbum lethalem, ergo per se est lethalis; quæ enim fiunt per accidens, non fiunt per se, multo minus illud probari potest, quartanam post quadragesimum annum lethalem esse, quia *Galenus lib. de præcognit. ad Postb. & Forest. l. 3. obs. 38.* recensent, senes etiam à quartana curatos esse.

§. 23.

Lethalis tamen fieri potest in decrepitis, ubi conjuncta corruptio viscerum.

§. 24.

Ad salutem terminatur per Vomitum, nonnunquam excretionem critica per sudores, urinas, rarò per abscessum, nonnunquam etiam, nec rarò in alium morbum terminatur, v. g. in tertianam simplicem, quotidianam, quod meo comprobare possum exemplo; ad mortem verò, quando in graviores morbos, hydropem, cachexiam &c. desinit.

§. 25.

Super est CURATIO, quæ tribus absolvitur INDICATIONIBVS, *Cura motoria* scil. quæ affectum, causam continentem, ac alia symptomata auferre studet, *Præservatoria* quæ causas respicit, *Vitalis* quæ vires restituere allaborat. Sumuntur autem præsidia ex triplici fonte.

§. 26.

In CHIRURGICO occurrit venæ sectio, quæ tamen non convenire videtur, quia causa prima, & fermentum febrile extra Massam sanguineam hæret, idem intelligendum est de cucurbitulis, vesicatoriis.

B

§. 27. EX

Ex fonte PHARMACEVTICO plus auxili sperandum, offerunt verò sese statim *lenientia* ac *purgantia*, quæ cacochymiam, errores diætæ commissos, & obstructiones respiciunt, qualia sunt Spec. diajalapp. Myns. pulv. laxat. veget. D. Wed. Crem. & Crys. ♀ i ♀ ♂ l. s. & Paris, cerberus triceps: pillulari formæ inservire poterunt M. ♀. Quercet. Schrod. aloet. D. Wedel. resin. scam. jalapp. panchym. Croll. &c. Exhibentur autem hæc purgantia vel die intermedio, vel 6. 7. horis ante paroxysmum.

Emetica præstantissima in nostro affectu sunt remedia, & constat experienciâ, unico dato vomitorio 6. horis ante paroxysmum sæpè planè emanasse, & non rediisse febri; sunt autem præcipua ♀ Emet. Wed. c. ♀ ♂ ii datus, ♂ ♂ l. quod *Langius in miscell. Curios. Med.* præ aliis valde commendat, & vitæ r. præp. oxylacchar. emet. ▽ bened. Rulandi.

Hiscæ subjungenda *Diuretica*, quæ resolvunt, aperiunt, adque vias urinarias materiam febrilem devehunt, v. g. Spirit. ♂ l. ♂ l. d. ~ aperit. Penot. clyst. ♂ ii ♀ al. R. ros. viol. ♀. ♂ ii, silic. Glaub.

In specie laudanda veniunt *Diaphoretica* tum volatilia, tum præprimis fixa, quæ vim absorbendi habent, & specifica febrifuga, ut sunt R. bezoard. D. Wedel. Michael. Ludov. mixt. simpl. spir. Corn. Cervi, eboris, serpent. theriacal. camph. ppt. bezoard. Wed. Senn. ♂ diaph. Corn. Cerv. ust. & philos. ppt. conch. lap. ♂. ppt. bez. ♀ al. ♀ ial. d. ♂ absinth. Carb. Centaur. min. fl. ♂ *ci s. & ♂ ial, specif. febr. Croll. trochisc. de viper. ♀ na, inter ~ uosa sunt. ~ *ci s. & vinos. ~ antiquart. Elix. P. P. antiscorb. elix. ♂ l. Myns. ♂ t. Ludov. stomach. D. Wedel. inter olea laudantur ol. antifebril. D. Wed. pip. caryophyll. Ind. ♂ t. camph. antiquart. Fabr. quæ omnia simul egregie confortant.

§. 31.

Diluentia infusa, quatenus abstergunt, vias referant, commo-
de præscribi poterunt ex rad. apii, aspar. scenic. Græc. gentian. herb.
agerat. tertianar. ceterach. trifol. fibr. capill. ꝑis, hepat. nob. fu-
mar. fl. cichor. bellid, additis lign. saslast. Cort. cappar.

§. 32.

Singularem considerationem meretur Chin. Chin. seu Cortex
Peruvianus, qui est medicamentum specificum in quartana, virtu-
tem amaricantem & leviter adstringentem habens; datur autem
commodè duabus vel tribus horis ante paroxysmum, post paro-
xysmum sive per se, ad ʒj. c. vino malvatico, sive guttulis aliquot
additis ol. caryophyll. vel ad modum *Sydenh.* in electuar. c. conserv.
rosar. quod vid. potest *sect. 1. c. 5. pag. 48.* qui plura de China Chi-
na atque virtute ejus febrifuga legere vult, adeat *Morton. Exercitat.*
de morb. universalibus acutis exercit. 1. cap. 7. & cap. 8. à pag. 122.
usque ad pag. 197. Cautelæ quæ circa hoc medicamentum obser-
vandæ, videri possunt apud *D. Schelhamm. in dissertat. de Curat.*
febr. parte IV. pag. 132. nos pergitur ad *Externa.*

§. 33.

Stomacho imponi possunt emplastra de crusta panis, de ci-
cut. magnet. Angel. Sal. de bacc. laur. e.g. tacamah. storac. calam.
benz. mastich. roborata ol. mastich. macis, carvi, menth. caryoph. &c.

§. 34.

Dietam paucis addemus, Cibi sint boni succi, non saccha-
rati non Θ si, pisces, it. carnes suillæ infumatae vitandæ: Cerevisia
fit defecata, vinum modice sumatur, aer nebulosus, frigidus vite-
tur, somnus capiatur moderatus, vigiliæ non excedant, motus à
cibo non sit vehemens, alvus lubrica teneatur, si non naturâ, me-
dicamentis procuranda: Animi Pathemata omnia excludenda,
vitaque tranquilla servanda.

F I N I S.

DEO SIT LAUS ET GLORIA.



*Aud facilis datur ascensus virtutis ad arcem,
Obsita praeduris sentibus ista via est,
Tu felix superas famae transcendis ad auras,
Alto subjiciens inferiora pedi.*

*Macte novis gradibus! summos Tibi grator honores,
Quos Daphnes hodie dividit alma manus.*

*in honorem Clarissimi Dni Doctorandi cum voto
omnigenae prosperitatis adp.*

PRÆSES

Quod Te nequaquam cœpere oblivia nostri,
elogio febris querquera testis erit.
Testis erit famæ surgentis, ut & meritorum,
quæ Te jam decorant, quæque per ampla ma-
nent.

*Id verò gratulante mente & manu ominatur ex certis & in-
fallibilibus fontibus, PIETATE, ERUDITIONE, MO-
DESTIA, quæ Te dudum nobis aliisque commendarunt
apprimè, & divini numinis gratiam ac omnigenam
benedictionem ulterius apprecatur*

GEORGIUS WOLFFGANGUS WEDELIUS.

Antrags-Rede/
Als

HERR MICHAEL KAUZZ

In die Zahl der Graduirten Personen verlangte aufgenommen
zuwerden

Des damaligs/ ihn aufführenden Decani

Linunter dich/ entschlafter Aesculap!
Laß eilends auf die ährnen Pforten schliffen:
Frisch lorberreis leg' um den schlangensab /
Ein würd'ger sohn verlangt sein gold zu küssen.
Herr KAUIZZ fängt den reihen wieder an/
Den ein Walts Gott! zum vorpiel jüngst geschlossen /
Du mußt / o Fürst des Lebens! wieder dran/
Ob du schon nicht gar langer ruh genossen.
Schau was er bringt für ryfer zum Altar!
Ein neuer Saft fällt die gesundheitschalen.
Setz an den Mund! nimm seiner kräfte wahr:
Der Todt entweicht/ es schwindet die gefahr:
Du mußt den preis mit ehrengolde zahlen.

G. E. Schelhammer.



00 A 6374

ULB Halle 3
002 929 228



80


UDAT





DISPUTATION
TOM





52.
I. N. J.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
FEBRE QUARTANA
INTERMITTENTE,

Quam,
Consensu & suffragio illustris ac gratiosis-
simæ Facultatis Medicæ in florentissima Salana,

PRÆSIDE
ACADEMIÆ H. T.
RECTORE MAGNIFICO
DN. RVDOLFO GVILIELMO
CRAVSIO,

Philos. & Med. Doct. Hæreditario in Mel-
lingen/ Prax. & Chim. Prof. Publ. celeberrimo, Facultatis
Medicæ SENIORE, S. R. I. Natur. Curios. Acad. Collega,
& p. l. DECANO spectatissimo,

Dn. Præceptore, Patrono ac Promotore
studiorum suorum aternum devenerando,
PRO LICENTIA

Summos in arte Medica honores, insignia atque privi-
legia Doctoralia rite capessendi,

publicè ventilandam sistit
MICHAEL KAVLIZ, Quedlinburg Saxo,
Medicus Northeimensis,

In auditorio majori

d. 27. August. M DC XCIV. horis ante & pomeridianis consuetis.

JENÆ, LITERIS KREBSIANIS.